

Q. 278.

ORATIO

in obitum

VIRI

X 2122749

Zf
3690

*Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,
Domini*

ANANIAE VVEBERI,

S. S. Theologiae Doctoris Famigeratissimi, Professoris quondam in Almâ Lipsiens. Publici Celeberrimi, & postea ad D. Elisabethæ apud Vratislavienses Pastoris Vigilantissimi, cæterarumque Ecclesiarum & Scholarum invariatae A.C. addictarum Inspectoris Gravissimi, B. M.

In Academia Lipsiensi

D. XXVI. Jan. cl. lxxvi.

publicè in Majori P. P. Coll. recitata

à

SAMUELE LANGIO, S. S. Th. D.

Ejusdemque Prof. Publ. ad D. Thomæ Pastore & Superintendente, Consistorii Sacri Electoralis & Ducalis Assessore, & Fac. Theol. DECANO.

L I P S I Æ,

Typis & Impensis JOH. WITTIGAU.



VIRIS

*Pl. Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis
Experientissimo Praclarissimis*

DOMINO

JOHANNI *Mauckisch* /

S. S. Theologiae Doctori & Professore Celeberrimo, Gymnasii
Dantiscani Rectori Spectatissimo, & Pastori ad S. S. Tri-
nitatis ibid, Vigilantissimo &c.

ut &

DOMINO

CHRISTIANO WEBERO,

S. S. Theologiae Licentiato Dignissimo, Vratislaviae Pastori
ad S. Bernhardini Vigilantissimo, Praeposito ad S. Spiritus
Gravissimo, & Consistorii Ecclesiastici Assessori
Spectatissimo &c.

Nec non

DOMINO

JOH. CORNELIO WEBERO,

Philosophiae & Medicinae Doctori Famigeratissimo & Pra-
ctico apud Vratislavienses Felicissimo &c.

Fratribus in Jesu Christo Dilectissimis, Fautoribus &

*Amicis omnibus & singulis Honoratissimis, Orationem
praesentem*

ea, qua decet, observantiam

D. D. D.

D. S. L.



*Magnifice Academia Rector, Perillustriſtis & Generoſiſſime Comes à Ly-
nar, Conſules & Proceres utriuſq;
Reipublicæ Faventiſſimi, Theologi,
JurisConſulti, Medici & Philoſophi
& Quatuor harū Facultatum De-
cani, Profefſores & Cultores maxime plurimumq;
Reverendi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſ-
ſimi, Excellentiſſimi, Clariſſimi, Eximi, Præſtantiſſi-
mi, Tuq; Nobiliſſima & Florentiſſima Studioſorum
Corona,*

Quanquam plurima ſint in hac rerum univerſitate, quæ,
ab Artiſcioſiſſima Omnipotentis Cœli Terræq; Conditio-
ris manu, ita ſunt creata, ut animum Hominiſ, ſui non ob-
litum, in admirationem poſſint abripere; Eorum tamen nullum,
neque naturæ dignitate, neq; ſtructuræ Majeltate, neq; demum
uſuræ fertilitate, fortius commovere in ſui admirationem pote-
rit Hominiſ Animum, quàm Animus ipſe, Felix hæc in parte, ſi à
creaturæ dignitate ad creatoriſ Majeltatem progrediatur, Nar-
ciſſus, pulchritudiniſ propriæ Admirator. Etenim cum cætera
nata omnia intereant, neque quidquam immortale ſit in terris,
ſola certè viſ mentis & ingenii immortalis perſiſtit, neque cum
corpufculo, quod inhabitat, ſimul interit, Hoſpes præſtantiſſi-
mus, Rex non in aula, ſed in caula; Sacerdoſ non ad aram, ſed
ad haram; (corpuſ enim, uti per literarum; ita per vitiorum
quoque confuſionem, Porcuſ evadit.) Heroſ non in armaturâ,
ſed in capturâ; non in caſtris, ſed carceribuſ; non in Munimen-
to, ſed Monumento momentaneo; in domicilio non auguſto,
ſed anguſto, Auguſtiſſimuſ, tot præclarorum operum, tot divi-
norum



nordm æternitatemque monumentorum, tot cum posteritate vi-
cturorum semper Laborum & Author & Auctor, quæ post dis-
solutionem habitaculi sui inconstantissimi constantissimè & ibi
perennat, & hinc inter Homines sui memoriam conservat. Quo
ex fonte Laudatissima illa consuetudo manavit, quæ prudentes
virtutum Æstimatores, post fata etiam Hominum, eos laudare
publica panegyri solent, qui tam divino & inæstimabili deposi-
to, divinâ auræ particulâ, dum adhuc in vivis erant, non sunt ab-
usi, sed potius ad DEI honorem, suique ornamentum & proximi
emolumentum usi. Quo enim pacto æterno Lethes flumine
submergenda sunt Hominum malefacta; eò è contraria parte
Mnemosynes Templo affigenda sunt, quæ benè à bonis, opti-
mè ab optimis sunt peracta. Retinuit hætenus eam consuetudi-
nem, ut universa nostra Academia, ita in Eadem quoque Vene-
randa Facultas Theologica tenacissimè, Nulla unquam obli-
vio ex mea mihi memoria subducet, KROMAYERE *Excellen-
tissime*, Factum Tuum nunquam satis celebrandum, quò imitan-
do aliis exemplo, Svadâ Tuâ Dulcissimâ, quâ polles maximè,
in honorem *Desideratissimi Parentis mei, Beata Memoria*, hæc ipsa
è Cathedra in consessu summorum virorum, verba fecisti pon-
derosissima. Nec erunt inter nos adeò multi, qui obliti jam
dum sint, quo pacto reliquis quoque è vita discedentibus Theo-
logiæ Professoribus & Doctoribus sit parentatum. Atque hæc
unica ratio urgere nos potuisset forissimè, ut *Viri plurimum
Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi Dn. Anania Weberi, S. S.
Theologiæ Doctoris Famigeratissimi, Professoris quondam in Almâ hac
Nostrâ publici Celeberrimi, & postea ad Diva Elisabetha adis apud
Uratislavienses Pastoris Vigilantissimi cæterarumque Ecclesiarum &
Scholarum Augustana Confessione addictarum Inspectoris Gravissimi,
nunc Beatissimi*, haberetur à nobis ratio. Quanta enim in univer-
sam Academiam, quanta in Facultatem Theologicam, quanta
in Sacrum Ministerium, quanta denique in universam Stu-
diosorum Coronam, merita contulerit, animo fortasse
meo

meo complecti potero, indisertâ verò hac lingvâ vix ac ne
 vix quidem potero eloqui. Testem hujus rei non meipsum,
 nec alium hominem privatum, sed viros Magnificâ Splendidis-
 simâque Authoritate publicâ maximè conspicuos; Verbo: In-
 tegrum Serenissimi Electoris *Proto-Synedrium* splendidissimum,
 Testem voco. Intellexit illud, & post accuratam WEBERI labo-
 rum trutinam verè intellexit, quanta sint hujus viri merita in u-
 trasque Lipsiensium Rerum publicarum partes, imò in universam
 Ecclesiam orthodoxam; inde apud Electorem Serenissimum,
 Patriæ Patrem Clementissimum, cujus *Serenissimi Suc. essoris*, Pa-
 tris itidem Patriæ Clementissimi, *Recentissimam in Universum Or-*
dinem Nostrum Beneficentiam Cedris dignissimam, eamq; non Ligno, sed
Auro insculpendam jure meritòque publicè & gratâ animi devo-
 tione in memoriam nobis revocamus, Honoratissimum hocce
 Testimonium deposuerunt Viri ex Collegiò illò & fide & au-
 thoritate Amplissimi: *Veberum Nostrum esse Virum Sedulum stre-*
nuumq; & in Theologiâ solidè fundatum, in Linguis Ebraicâ, Chal-
daicâ, Syriacâ & Græcâ valdè Expertum & Exercitatum, Esse cum
quoq; Concionatorem bonum & perquam amœnum, qui per aliquod
temporis spatiũ studiosæ juventuti summa cum utilitate præfuerit, Uni-
versitati quoq; & civitati magno ornamento vixerit, unde non dubitan-
dum, magnum ipsis in posterum quoq; emolumentum ab eodem posse, Deo
juvante & benedicente, accedere. An verò esse potest inter nos, qui
 magna Viri merita non abundanter satis ex illustri hòc Testimo-
 niò perspiciat? Laudatus hîc fuit *B. Veberus*, quid dicam, à
 viris laudatis, cum fuerint laudatissimi? Enimverò illud demum
 Encomium multis aliis præferendum esse judico, quod & publi-
 cum, & fide dignum, & à celeberrimis Viris profectum, rei que
 ipsi & veritati perquam consentaneum esse conspicitur. Accedit,
 quod insignis illa meritorum celebratio tantò certiore mere-
 re apud nos calculum debet, quod multi adhuc inter Nos, per
 Dei gratiam, supersumus, qui *αὐτὸν καὶ ἡμεῖς ὑπὸ τῆς αὐτῆς* hujus rei fui-



mus. Vivunt etiam hinc inde in variis officiorum generibus viri
de bono publico egregie merentes, qui ejusdem quoque rei Te-
stes esse possunt certissimi. Testantur adhuc hodie Auditoria
Theologica, Testatur praesens Cathedra, cui insisto, de crebris
Disputationibus, aliisque hujus ordinis laboribus quamplurimis,
quae si omnia sigillatim velim enarrare, & vos audiendo & me di-
cendo defatigarem. Atque haec omnia cum tot & tanta sint, uti
audivimus, omnino merebantur, ut utilissimi hujus viri nomen
oratione publica celebraretur. Sed haec argumentorum pon-
dera unumquemlibet alium permovere potuissent potius, quam
memetipsum, utpote quem non ignoratis ab hujusmodi exerci-
tiis esse alienissimum; Unde nec usu satis, nec ingenio, quod se-
mel susceptum est, possum eloqui. Sunt alii, quorum pectus
eloquio satiatum est, Principes ingenii & Doctrinae, qui aetate
nostra *Monetam Latinarum Eloquii* (liceat mihi verba *Symmachi* re-
citare) *Tullianam in eade fingunt*, quorum Sermones acuminibus
& sententiis scintillant & multo facundiae amoenioris melle afflu-
unt: Hi sane, ut munus hoc in sese susciperent, aequum erat. Mea
enim Minerva rancidior est, quam ut divite verborum eluvie
redundet, caretque & inventionum prudentiam, & novitate sensuum,
& antiquitate verborum. Restat ergo ratio omnium prae-gnan-
tissima, quae tantum apud me potuit, ut, quantum aliis elegantiam
sermonis sum impar, tantum religione gratitudinis par ut fiam.
Ea vero & pronissimum illum in me adfectum, & fidelis-
simam meorum studiorum partim directionem, partim evectionem
nec complectitur. Quae utraque fecerunt, ut aliquam saltem *B. We-*
beri manibus gratitudinem demonstrare coactus sim, quantumvis
illam & nusquam & nunquam tot meritis exaequare valeam.
Magnus sane Amor erat, quod quavis occasione studiis meis in-
vigilabat: Major, quod ad intimam me sui admissionem nun-
quam non recipiebat: Maximus, quod praeter caeteris me eligebat,
quo Respondente uteretur, cum Disputatio Solemnissima, pro
Loco

Locò in Facultate Nostra obtinendo, habenda esset. Eum enim unicum Actum esse puto saluberrimum, ex quo omnes omnino benedictionis divinae, qua hodieq; in officiis molestissimis fruor, rivuli copiosè emanarunt. Nulla mihi temporis injuria unquam ex mente mea eripiet benedictam illam & felicissimam horam, quã alter Elias, mox ad cœlum abiturus, *B. Hæpffnerus*, at quantum Theologus! me in præsentì Cathedra ad pedes *WEBERI* nostri Responsiones expedientem, in consensu tot ex utraqve Republica Amplissimorum virorum, qui lacrymas nec mecum, nec cum *B. Hæpffnero* tenere poterant, Divinissima & ominosissima benedictione beavit. Prophetam agebat Beatissimus Vir & Cygnum, quem paulò ante mortis horam, suavissimè cantillare finxerunt veteres. Non nomina dixit, sed omina; non verba, sed *ἔγχα*; Oracula fudit, non vocabula, Sacerdos veracior, quam ex Tripode olim Apollo fallacissimus. Quoties ego vel hæctenus mœstis infortunii flatibus jactatus sum, vel hodieqve jactor, toties subit me sacrorum illorum votorum devota Recordatio, toties memoriã eorum me labelcentem erigo, stantem confirmo. Quoties deniqve prospera mecum Fortuna in gratiam revertit, toties sanè precum devotissimarum, quas tum temporis fundebat, *B. Vir*, recordor, easdemq; ejus felicitatis præfagia interpretor Vota enim devota preces sunt: Preces autem Sanctorum vincula sunt, & *Catena*, quibus invincibilis vincitur & omnipotens ligatur. Oratio justì, inquit Augustissimus Pater, *Augustinus*, *clavis est cœli: ascendit precatio & descendit Dei miseratio: licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam; si mundam habeat conscientiam: Et aureum sermonis flumen, Chrysostomus: Preces justorum, inquit, plus valent, quam arma, quam equitatus, quam pecunia, quam multa copia.* Horum verò votorum occasio non erat alia, quam *B. Weberi* *Disputatio Inauguralis*, in qua Respondentis mihi partes faventissimè & præter spem erant demandatæ. Hisce igitur rationibus

non

Serm. 226.
 de Tempore
 Tom. X.
 Col. 1089. B.

1.2. de O-
 rando Deū
 T. I, f. 133. A

non inductus, sed planè convictus, non potui presentem dicendi.
Spartam subterfugere, nec debiles huic oneri humeros subtra-
here. Agite ergò, Auditores omnium ordinum honoratissimi
& eam ultimis B. WEBERI honoribus operam præstate, ut tam
parati Vos ad audiendum accesseritis, quàm paratus ego ad di-
cendum prodii. Levabo audiendi molestiam, quibus potero, re-
mediis, & universam dicendi materiã quatuor potissimum parti-
bus complectar, non solum ut distincta distinctè percipiantur,
sed etiam ut dicendorum varietate audientium animi auresque
recreentur. Notum enim est, hãc ipsa hebdomada Fastos, con-
tinua serie, rarò sanè exemplò, Quatuor virorum Sanctissimo-
rum, *Timothei, Pauli, Polycarpi & Chrysostomi* memorias referre.
Nos ergò & tempori & Scenæ inservientes tot quoque nostræ
orationis partes constituemus, ut exponamus vobis in B. nostro
WEBERO, *Timothei Pietatem, Pauli Gravitatem, Polycarpi Fertilitatem*
& deniq; etiam *Chrysostomi Suavitatem*. Quas si non ea, quæ par-
est, *Suavitate* & verborum fertilitate exponamus, explebit locum
& rei dicenda *Gravitas, & Vestra, Auditores, Pietas*, quæ etiam at-
que etiã expeto & exspecto. Ille demùm verè TIMOTHEUS
est, qui verè pius est. *Timotheus* enim eum denotat, qui *Deum*
Timet. *Timor* autem *Dei Pietatis anima & medulla est*. Est verò
extra dubitationis aleam positum, Timotheo in omen veræ Pie-
tatis id nominis fuisse inpositum, ad exemplum sanctorum in Ec-
clesiã V. Testamenti, quod iis plenissimum est. Volebant &
Piissimi, B. Doctoris nostri, Parentes à primis statim ungviculis,
præfagia edere, Eum fore *Pium*; hinc ANANIÆ nomen, quod &
Avus commune habuerat, Ei imposuerunt, quod interpretamur
Eum, *Cui Deus* ceu pio & probò homini, cælitus *respondet*. Re-
spondet verò piis, non impiis, probis, non improbis, ut notum
est. Mos certè Christianis laudabiliter imitandus, ne, quod nò
rarò fieri solet, ea infantibus imponantur nomina, quæ vel inpie-
tatem redolent, vel

Nomina sint ipso penè tremenda sono.

Ec

Fuit in B.
Webero

I. Timothei
Pietas.

Vid. B.

Finck. in Tr
de Sphæra
p. 43.

Et quemadmodum *Timotheus* eam nascebatur *Matre*, quæ *Christo* nomen dederat, illique *Avia*, *Loidi* nomine, informandus tradebatur, quæ & piissima, & in *Sacra Scriptura* eruditissima erat: Ita & *Ananias* noster parentes habuit non solum piissimos: sed & valde eruditos. *Pater* enim erat *Vir* perquam *Reverendus*, variisque eruditionis dotibus *Præclarus*, *Dn. Johannes Weberus*, *Pastor Lindenhainensis per Triginta & quatuor annos Vigilantissimus*. *Mater* vero *Matrona* piensissima, *Gertrudis*, ex *Notissima* apud *Tyrietas* *CÖLERORUM* *prosapia oriunda*, ut *Avios* & *Avias*, cæterosque ejus majores, qui omnes cum pietate matrimonium inierant, taceam. Plurimum verò conducit, eos habere *Parentes*, qui maternò statim cum *Lacte* pietatis semina infundant: quemadmodum è contrariò plurimum nocet, cum *Nerone Claudio* adeò improbis ortum esse, qui ipsimet negent, *quicquam ex se, nisi detestabile & malo publico nasci potuisse*. Natus autem est, quod omninò notandum, *Anno* post natum *Christum*, ex ærâ *Vulgari*, *Millesimo*, *quingentesimo*, *nonagesimo sexto*, die *decima quarta Augusti* *Eusebio* sacra, quæ ipsa, *Annò* seculi ejusdem *septimò*, natus est *Georgius*, *Dux Anhaltinus*, qui, juxta *Melanchthonem* in *Epitaphio*,

*Urbibus in multis, flavus quas alluit Albis,
Et quas cerulei præterit unda Sala,
Agmina collegit Christum celebrantia: Spargens
Pura Evangelii semina voce sua.
Fidus & ætati venienti Testis ut esset,
De Christo Patriæ publica scripta dedit.*

Profuit namque ad *Esdrae* exemplum *Patriæ* in re utraque, docuit & confirmavit multos concionibus & editis scriptis & rexit consilia gubernationis. Ex quo duo se notatu digniora offerunt. Nam & *Dies Eusebii*, & *Pius* quoque *Princeps Anhaltinus*, in *Pietatis omen* trahi poterant. Sed nolumus his immorari: Restant enim perquam multa, eaque his fortassis potiora. Scilicet, non sufficiebat, *Nomen à pietate adeptum esse, à Pius Parentibus ortum*

B

esse,

Vid. ap. *Leg.*
in *Comp.*
Histor. p.
27. *Sveton.*
Tacit. *Di-*
on. *Seneca.*

Vid. hie
Mel. Ada-
mi Vit.
Germ. The-
ol. p. 245.
seq. Schnur.
Calend. Oe-
con. p. 231.
Phil. Me-
lanch. l. 6.
Epigram. 5.
l. 2.

Vide Mel.
l. 4. Epigr.
N. 5.

esse, imò *Die Eusebii cum Principe piissimo natum esse*, sed require-
batur etiam *Educatio Piissima*. Illi ergò *Præceptores* eligendi e-
rant, qui & ipsi pietate præcellerent, & aliis eandem præirent.
Sub horum Manuductione privatâ & Domesticâ per integrum
octennium & moribus, & literis & pietati præcipuè operam
dedit adeò felicem, ut ea propter *Strenuus & Nobilissimus Vir Eri-*
eus à Rabel Thebarum Saxoniarum, ut *Philippus Melanchthon* eas
nominare voluit, *Hereditarius*, puerum tantò favoris & amoris
æstu prosequeretur, ut eum ad convictum suum reciperet, & de
fidei informatione prospiceret ultrò: tam in solatium Bonarum
mentium, quarum Soror est Paupertas, quàm in Excitamentum
Malarum, quarum Soror est pigritia & Nequitia. Traditus
ergò est Fidei *Rectoris, Dn. M. Johannis Engelmanni*, usque dum
Illeburgum Delitiumq; mitteretur, tandemque hîc *Lipsia*, sub
moderamine Virorum nunquam satis laudatorum, & meorum
quoque partim *Præceptorum, Viri Excellentissimi, M. Johannis*
Friderici, Rectoris Scholæ Nicolaitanæ & Professoris in Academiâ Cele-
berrimi, nec non *Dni. M. Valentini Hartungii, Correctoris ibidem Fi-*
delissimi, eos in pia eruditione, & erudita pietate progressus face-
ret, ut cum fructu ad *Lectiones Academicas* posset ablegari, mo-
re tunc temporis tritò, quò ad certos eruditionis gradus perve-
nisse priùs oportebat illos, qui limina Academica salutare vole-
bant, longè secus ac hodiè, quò non cruda amplius, sed erudissi-
ma & rudissima studia in Academias propelluntur, non ut exco-
lantur, sed ut proprio suo ductu pervertantur, id quod maximo-
perè dolendum & publicè detestandum est. Bonos equidem
non tango: Eos enim & amo, & sicubi possum, adjuvo. Pessi-
ma autem *Academiarum Carcinomata* quis amet? quis adju-
vet? Longè alia mente præditus erat *Weberus Noster*. Unde
postquam sub *Rectoratu, Viri plurimum Reverendi olim, Amplissi-*
mi atque Excellentissimi, Dn. D. Vincentii Schmucci, Superintenden-
tis de Ecclesiis Nostris optimè meriti, Matriculæ Academicæ nomen
dede-

dederat, nec ab Ore, nec latere Professorum Celeberrimorum, quorum memoria sit in pace, *M. Johannis Friderici* paulò ante laudati, *utriusq; lingvæ & Historiarum*; *Lic. Philippi Mülleri, Matheseos*; *Heinrici Höpffneri, Logices*; (cujus, quod Stipendiatorum Ephorus esset, maximè assiduus & doctrina & consilio & ope usus est impensisimè) nec non *M. Theophili Pistorii, Orientalium Linguarum, Professorum Publicorum, & in hodiernum usq; diem Celeberrimorum*, ab horum, inquam, nec ore, nec latere unquam discescit; sed pia ipsos & diligentia & obedientia semper comitatus est. Ex quo maturos in Studiis suis fructus demessuit, ut & primam in *Philosophia*, & paulò post *supremam*, eò ipsò die, quo cum maximò utriusque Reipublicæ luctu, *Vir*, quem & simplex pietas, & pia simplicitas commendabat egregiè, *Reverendus plurimum, Amplissimus atq; Excellentissimus, Dn. D. Georgius Weirichius beatæ memoriæ*, è vivis excessit, magnò cum honore capesseret, ad institutum Veterum, quod & heri, per Dei Gratiam, vidistis fieri solennissimè.

Habuit igitur hîc *Beatus Weberus* noster, quem imitaretur *Weirichium*: Habent *Hesterni quoq; Sapientiæ Sponsi*, quem ut antecessorem felicissimum sibi in exemplum proponant, quemve indefesso pede sequantur, *Weberum Nostrum*. Nullum enim dubium est, quin, si & ipsi præstiterint, quod Eum nunc præstitisse audient, simili quoque à Deo Benedictione sint coronandi. Is verò ita progressus est, ut, post acceptum Magistri titulum, non socordix semet, & inertix tradiderit corrupendum; sed cum esset *ex Natione Saxonica*, videretq; & animò conciperet firmiter, se negotiò non admodum difficili, si ageret ea, quæ vigore *Statutorum* agenda sunt, brevi ad perceptionem *Nationalium Beneficiorum* esse perventurum, aliquoties, ut mos & consuetudo hujus Universitatis laudabiliter postulat, disputavit, ut adeò *Anno 1621*, pro *Philosophicæ Facultatis Membro* legitimè & absque ulla *Statutorum* dispensatione sit receptus.

Quo ex tempore ita se gessit,



fit, ut absque ulla Collegarum contradictione Anno 1625. Decanatus Philosophici functio Ipsi concederetur, tandemque post beatam Dn. D. Johannis Curtii, in Facultate Juridica Professoris Publici, ἀ-άλυσιν, Locus eidem inter Collegas Minoris Principum Collegii offerretur.

Eruditionis & honoris radices amaræ quidem sunt, fructus verò dulces, & eò æquidem dulciores, si pietati perpetuæ sociati sunt.

Ea verò neque in hisce laboribus Philosophicis decrescebat in Webero nostro. Equidem Religionem ducebat summam, beneficio *Stipendiorum Electoralium* frui, & non summa cum contentione pietati incumbere & reliquis virtutibus strenuè studere. Nullum igitur diem temerè abire patiebatur, quo non vel unica saltem pietatis linea ab eodem ducta superfuerit.

Pietati sociebatur sororiò quodam vinculo & indissolubili nexu, Industria, Industriæ vicissim Pietas. Audiverat antea studiosè & magno cum oblectamento Philosophos, jam multò studiosiùs jucundiùsque audit Theologos, *Schmuccium* præcipuè, *Lyserum*, *Höpfnerum*, Magna Pietatis juxta & Eruditionis Theologicæ Nomina & Lumina. Nec, cum occasionem nancisceretur, alias visitandi Academias, eam sibi calviam eripi passus est. Abiit ergò *Jenam* primùm, post *Wittebergam*, & utrobique docentes Professores, *Gerhardum*, *Meisnerum*, *Balduinum* (paucos ex multis recenseo, ut verborum & rerum compendium faciam) sedulò audiit, audita repetiit, repetita in succum & sanguinem convertit.

Pòst ad nostram Academiam rediit, & primos in Theologia honores, quos *Baccalaureales* vulgò interpretamur, adeptus est, idque Anno 1624. quos non diu postea *Licentia Gradus* excepit.

Ex eo se accumularunt honores, Officia, Munera, & hujusmodi Laborum ampla spolia & Tropæa alia, de quibus post acerbissimos, ut fieri solet, labores exantlatos, ceu Victor Romanus

nus

nus & alter Romulus triumphavit: verum enim verò ea omnia cum Timotheo in pietate.

Nulla enim fortuna tam efficax fuit, ut Eum à pietatis tramite potis fuerit deducere: Rupem dixeris à veræ pietatis & probitatis oceano dimoveri nesciam.

Constitutus est primùm *Stipendiatorum Ephorus* à *Serenissimo Nutritio Nostro*, addita promissione Clementissima, habitum iri posthac rationem sui ampliorem.

Pietas Eruditioni Summæ, quanta quidem in hanc imbecillitatem cadit, sociata, ad exteras quoque Gentes odorem suum, instar floris fragrantissimi sparserat, unde vel à *Belgis* perceptus erat sic satis abundè.

Vocatur ea propter ab illis *Amsterdamum ad munus concionandi primarium*, quam Vocationem absque dubiò secutus esset, nisi pietas in Deum, Electorem & svavissimam Patriam, obicem posuisset & obstaculum. Cùm enim perciperet, nolle in sui dimissionem consentire *Serenissimum Electorem*, Divinæ se Voluntati, ut semper solebat, commisit, & à sede commodà non recessit. Placuit ea res *Serenissimo Patrie Patri* adeò, ut *Anno 1627*, quemadmodum Paulus olim *Timotheum* suum, primùm *Diaconum*, post verò *Ephesi Episcopum* constituebat, ita *Serenissimus Elector Weberum* nostrum, primò *Mutschensium Pastorem*, præter spem & opinionem, vocaret, & paulò post *Leisnicii Episcopum* constitueret.

Quemadmodum ignis se prodit, quemcunque in locum abdidit; Ita & Ignea *Weberi* pietas non potuit non fieri magis magisque conspicua. Videt *Amplissimus Noster Senatus*, quam piè, quam sincerè, quam integrè officiis hisce functus sit; movetur hinc, ut Eum, si velit sequi, ad *Archi-Diaconatum*, & primùm quidem ad *Divi Thomæ*, paulò autem post, ad *Divi Nicolai* vocaret. Sequitur, non ignarus, se pietate suâ hic pluribus profuturum, quam alibi,

Nec *Serenissimus Septem Vir* Ejus obliviscebatur; sed postquam intellexit, *Weberum* suum *Lipsiam* rediisse, concedidit ei *Annò 1638. Professionem Theologicam*, quam post acerbissimam *Beati-Hœpffneri* mortem superiorem, amplioremque cum *Canonicatu Cizensi* adeptus est.

Ultimo demum anno, cum adscensio hic daretur vix ulterior, vocatus est ab *Uratislaviensibus* primùm *Ecclesiastes*, paulò post verò *Pastor & Inspector Ecclesiarum & Scholarum*, quæ invariatae Confessione Augustanae addictæ sunt. Quanta pietate hinc officiiis gravissimis præfuerit, dici vix, ac ne vix quidem potest. Testabitur tamen *Lipsia*, testabitur *Uratislavia*, eam fuisse perquam magnam. Sanè non oravit solùm quotidiè pro *Regionis & Religionis integritate*, sed etiam pro fausto vitæ exitu, quem ob pietatem insignem Ipsi etiam Deus manifestavit mirabiliter per *Horologium*. Cum enim sexto ante mortem mense, atque adeò dimidiata anni parte, ante ultimum vitæ halitum, intolerabilibus ferè doloribus expositus esset, qui nec quietem Ipsi indulgebant, nec somnum, Deo se totum, ut antea semper fecerat, denuò consecravit, penetrantissimis adjectis precibus, quibus Deum flagitabat, ut tandem aliquando beatam vitæ analysin clementer concederet. Ecce verò cum in devotione hac ardentissima constitutus esset, non videtur sibi solùm cœlitùs audire vocem hanc: *LIBERABO TE*; sed prodit se etiam ex pariete signum multò felicius, quam apud *Danielem Regi Persarum* apparebat, *Horologium* illud erat, cujus duæ partes exoneratae erant, reliquæ verò duæ, quæ ultimas horæ partes explent, restabant integræ. Factum hoc absque dubio singulari Dei providentia est, qui Sanctis suis & piis Ministris nihil finit occultum esse, quod pluribus nunc exemplis ostendere possem, si opus esset. Hoc igitur Signum obitus sui Notam interpretabatur *Weberus noster*, Vates ea in parte veracissimus. Quemadmodum enim duæ partes horæ residuæ erant in *Horologio*



logio à Deo singulariter ostenso, ita & dimidia anni pars supererat, quam in turbulentissimo hujus orbis statu, vivendam adhuc habebat reliquam Vir Beatissimus. Elapso enim semestri post illam visionem spatio, placida se morte composuit, & animam corpore vacuam Deo, corpus verò terræ, Mortalium Matri, commendavit. Nolo per ambages & tædiosas circumstantias adducere Confessionem Ejus supremam, quæ sanè fuit pietissima in Deum, in Proximum, in se, in Ecclesias & in Scholas. Quæ pietas si vel una fuisset, dignum certè Eum fecisset, qui omnes honores mereretur.

Jam verò cum non *Timotheum* duntaxat imitatus sit in *Pietate*, sed & *Paulum*, *Timothei* Præceptorem, in *Gravitate*, vix credibile est, quantum Existimationem Sui auxerit. Expressit verò eam Gravitationem, uti in multis aliis, ita præcipuè in eò, quod omnes ferè *Pauli Epistolæ* publicè in utroque Templo, tam succinctis, quam dilucidis Concionibus Auditorio frequentissimo explicuit. Laudamus *Paulum*, quod Gravis & Constans fuerit in purâ & sincerâ Religione. Quin imò interpretatur ipsemet in sui laudem, quod Petro, Syncretismo Judæo-Christiano faventi audacter, & *καὶ ὑπερσώπων* restiterit. Quis verò Gravior, quis Constantior fuit *B. Veberô* in sinceritate Religionis Orthodoxæ conservandâ, & in minùs sincerâ Syncretismi mixturâ destruendâ? *Polycarpus* Marcioni, Romæ sibi occurrenti, dicenti-que: *Cognosce nos*, respondit: *Cognosco te primogenitum Satanae*. Addit *Irenæus*, qui ab *Irene* quidem Nomen habet, non tamen *Irenicum*, sed *Classicum* nobis reliquit, tantum Apostolos & horum Discipulos tenuisse timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem. Dignum quoque notatu est, quod refert *Theodoretus*: *Basilium*, inquit, cum *Præfectus* *Cæsaris Valentis* hortaretur, ut tempori cedere, neq; tot Ecclesias adducere in discrimen vellet, tenui exquisitione dogmatis: promittebat etiam ab Imperatore illi amicitiam, & à se occasione

II. Pauli
Gravitas.

Confer
Danh. My-
ster. Syn-
cret. p. 74.
seq. & Salve
Reform.
p. 731.

Theodore-
tus l. 4. Hist.
Eccl. c. 19.

Chemnitii
in Harm. E-
vangel. c.
83.

Danh. Salve
Reform.]
p. 639.

casione illa multa beneficia. At Sanctus ille & Gravis Pater, Adolescentulis congruere tales sermones, respondit: Nam & hos & his similes, (levitate quadam animi ductos) inhiare huiusmodi rebus: qui verò essent innutriti divinis literis, eos (ex animi Gravitate & Constantia) nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse, solere potius si res poscat, nullum mortis genus pro illis subeundum recusare: Imperatoris quidem amicitiam magni se facere cum pietate, quã remotã, perniciosam esse, dicebat. Ferebat hoc agrè Præfectus, aiebatq; cum desipere. Sed Magnus Basilius: Utinam sempiterna, inquebat, hæc mea sit desipientia! Hos Gravissimos Constantissimosque in sincerã veritate Doctores, si dicamus imitarum esse Doctorem nostrum, id ipsum, quod verissimum est, attestamus. Seqvebatur enim hac in parte celeberrimum Beati Chemnitii iudicium, quod suum indefinenter, λόγων τε καὶ ἔργων faciebat Noster: Urgent subinde Calviniani, inquebat, & in eo sæpenumerò ipsis adstipulantur quidam Politici, ut nos Lutherani ipsis contra Pontificios nos jungamus. Sic enim nos cum illis conjunctos hisce terribiliores futuros. Et quidem, quod Politicam conjunctionem attinet, eam suo loco relinquimus. Sitamen, quod res est, dicere velimus, satius est, nos solos ab omnibus derelictos, Christo & Ipsius Veritati adherere, quàm alterutri parti contra alteram adstipulantes, nostra Confessione eam notam inurere, quasi Christus citra Belialis Patrocinium consistere nequeat. Per nos autem Jesuitæ & Calviniani, cum Anabaptistis & Suvencfeldianis in unum coeant contra nos, quandocunq; & quomodocunq; voluerint. Indicium enim hoc est, eos Phariseorum, Sadduceorum & Herodianorum vestigiis insistere, nos verò cum Christo ipsorum telis & machinationibus objectos esse. Hoc gravissimò animò munitus Beatus noster Weberus fortiter spernebat heteroclita illa capita, qui cum Magnò Tartarorum Chamò, caduci & temporalis emolumentum gratia inqueunt: Quod ad Religionem, de qua disputari audimus, Tuus Pontifex, noster Pontifex esto: Tuus Lutherus, noster Lutherus esto: ita etiam: Tuus Calvinianus, noster

ster Calvinus esto. Vel cum *Rustano*, Primariò Portæ Ottomanicæ Ministrò, ut est apud *Busbequium*, Romani Imperatoris ad Turcas Legatum: *Non ego ab hac absum sententiâ, aeternæ beatitudinis consortes fore, qui sanctè innocenterq; hanc vitam traduxerint, quamcunq; illi Religionem secuti fuerint.*

Busbeq. Epist. 3. Turc.

Hanc verò *Gravitatem* in multis quoque aliis pietatis orthodoxæ exercitiis prodidit. Quòd si enim indefinenter *Paulus* oravit, oravit simili quoque modò *Weberus*, dum per quamvis diem certas sibi, familiæque suæ, horas constituit, quas Deo, devotis precibus pro Ecclesiâ, pro Republicâ, pro commodis publicis privatisque tribueret & sacras haberet. Quantæ verò efficacitæ sint preces Piorum, paulò ante diximus.

Si porrò circa Scholas & Ecclesias plurima gravissimè exantlavit *Paulus*, exantlavit illud etiam *Weberus noster*. Gravisimos enim labores pertulit per continuum vitæ spatium, quod omne Ecclesiis & Scholis consecratum ducebat, utpote nihil cogitans, nihil dicens, nihil denique faciens, nisi quod in commodum & emolumentum earundem cederet, quod omnis vitæ ejus cursus lucidissimè demonstrat. Gravisima quoque erant Verba ejus in morte, quibus & Reverendis Collegis Ecclesiarum, & Fidelissimis Præceptoribus Scholarum curam committebat, imitatus Gravisimum *Pauli* exemplum, in utraque ad *Timotheum* Epistola, & exemplum relinquens iis, quibus eadem curæ à Deo, Magistratuque supremo impositæ sunt sanctissimæ.

Quod si demum in Patientiâ quoque suam *Gravitatem* exercuit *Apostolus*, exercuit sanè etiam *Weberus*, in periculis, quæ habuit varia in morbis, quibuscum, ultimis præsertim vitæ annis, quotidie colluctabatur, in gravissimis denique tentationibus, quibus à Diabolò & Impiò mundò fraudulenter sollicitabatur, tandem in ipsâ morte, quam tamen, per Dei Gratiam, placidissimam in Salvatore suo obiit.

C

Gravi-

Gravitate hanc comitabatur *Polycarpi Fertilitas*. *Polycarpum* enim à *multitudine fructuum* nomen habere, in proapatulò est. Et is demum verus Christianus habetur, qui verè *Polycarpus* est, hoc est, *qui multos fert fructus*, ut Ipse Salutis Confus, Salvator Optimus Unicus, dicit. Quamquam verò de *Polycarpo* ex Antiquitatum monumentis notum sit, eum innumerabiles propemodum Ecclesiæ fructus peperisse; Enimverò tamen putandum non est, *Weberum* fuisse sterilem. *Fructus* sanè edidit *multiplikes*, eosque in omnes *Hierarchiarum status & ordines* effudit. Locupletavit enim *& Oeconomiam & Politiam & Ecclesiam*. Primùm sibi in Matrimonium junxit *Virginem & morum probitate & Elegantiarum integritate Ornatissimam, Beatissimi Theologi. Dn. D. Cornelii Becceri, Magni hodièq; inter nos Nominis, & tam de Academiâ, quàm de Ecclesiâ immortaliter meriti, filiam juniorem, Parente tunc temporis orbatam*. Cujus felicissimò Matrimonio verus in statu Oeconomicò *Polycarpus* effectus est. Sustulit enim ex Eâdem, per largissimam Supremi Numinis benedictionem, tria Masculi, unum verò Foemelli sexus pignora. Secundus ex filiis, *Johannis Christophori* nomen gerens, cum, vivente adhuc & ob id decenter lugente Parente mœstissimò, quicquid est rerum terrenarum & caducarum, reliquerit, in Cœlo coram Deo & Sanctissimorum Angelorum Beatorumque Chorò, testatus est, Parentem suum in terris, & factum jam dum fuisse, & esse adhuc verè *Polycarpum*. Reliqui duo per Dei Gratiâ adhuc inter vivos degunt, suosque fructus copiosè satis, ad exemplum Beatissimi Parentis, edere satagunt. Alter eum horum, *Vir Multùm Reverendus, Excellentissimus atq; Clarissimus, Dominus Christianus Weberus, SS. Theologiae Licentiatu Dignissimus, Vratislavia Pastor ad Sancti Bernhardini Vigilantissimus, Prepositus ad Sancti Spiritus Gravissimus, & Consistorii Ecclesiastici Assessor Spectatissimus*; Alter verò, *Vir Excellentissimus atq; Experientissimus, Dominus Johannes Cornelius Weberus, Philosophia & Medicina*

cina Doctor Famigeratissimus, & Practicus apud Vratislavienses felicissimus. Quorum ille in animas; hic in corpora; uterque in univrsam Microcosmum, atque adeò in ipsum quoque Macrocosmum, fructus suos nec absque decenti ubertate, neque sine nominis claritate & celebritate effundit. Filia verò, corporis & animi dotibus ut ornatissima, ita feliciter florentissima, Matrimonio juncta est citra dubium faustissimo, Theologo Nobis omnibus, qui in hac Univerſitate Bonis literis operam navamus, & de Eruditionis omnigenae copiâ & ubertate, & de celebratissima in purâ & Orthodoxa Religione sinceritate & Integritate, Ejusdemq; Defensionis Gravitate, uti Notissimo, ita & meritò Commendatissimo, Viro scilicet Plurimum Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo, Domino Johanni Mauckisch/ S.S. Theologiae Doctori & Professore Celeberrimo, Gymnasii Dantiscani Rectori Spectatissimo, & Pastori ad Sacrosanctam Trinitatem ibidem Vigilantissimo, qui & ipse Polycarpo hactenus simillimus vixit, nec degener B. Weberi Gener ut dici possit, passus est.

Quamquam verò Beatissimus Doctor Noster in secundò Conjugiò, quod cum Castissima Vidua, Viri Amplissimi olim & Spectatissimi, Domini Martini Herzschii, apud Mutschenses Quastoris Gravissimi, contraxerat, nullos videatur fructus edidisse, cum Matrimonium illud sterile fuerit, plurimos tamen omninò edidit, in suavi utrorumq; animorù Concordiâ, in maximâ precum devotissimarum copiâ, in aliis denique hujus generis exercitiis, quibus non destruitur Oeconomia, sed & cum hac adstruitur Politia, non defirmatur hæc utraq; sed & confirmatur Ecclesia. Quis denique nostrum, obsecro te, fructus eos numerabit, quos omnes per Beneficentiam nunquam satis celebrandam, promptissimumque in egenos affectum, quò præ reliquis egregiè excellebat, protulit? Commune, fatendum enim mihi, quod Veritas postulat, Is pauperum erat Asylum; dulce Afflictorum solatium; robustum Infirmorum Munimentum. Divitiæ ejus, si quæ ad-
erant,

Ambros.
lib. de Na-
tiv. Israelit.
c. XII. Tom.
IV, f. 293. B.

Chrysoft.
Homil. XV.
in cap. V.
Matth. T. 3.
f. 103. A.

erant, magis ab Afflictis possidebantur, quam ab Ipsò. Mens
Ambrosii, Mens Weberi. Sed quomodo Ambrosius? Puteus, inquit,
si nihil haurias, inerti otio & degeneri situ facile corrumpitur: exer-
citatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum: Ita & Acervus
divitiarum, cumulo arenosus speciosus est usu, otio autem inutilis habetur.

Noverat illud *Chrysoctomi: Deum nos velle, inqvientis, propter-*
eà à Virtute Liberalitatis incipere, ut occasionem inveniat, per quam
nobis plura restituat. Multos sanè Eucliones in ruborem dedit,
qui quò plus possident, eò minùs inter egenos distribuunt.

Sed neque in animi fructibus sterilis fuit, quos fructus aliàs
eruditionis appellamus. Quamquam enim tot librorum Volu-
mina in Lucem non emisit, quot fortassis alii, talia tamen edi-
dit, quæ sanè sunt succulentissima. Quid enim succiplenius in-
veniri poterit, *tribus illis egregiis Dissertationibus, quas de Adventu*
Messie contra Judæos & succinctâ prolixitate & prolixâ brevitate
adornavit? Quid elegantius cæteris ejus Dissertationibus, de Qua-
stione? Unde scis? contra scabiolum istum Gretserum: de Evange-
liò, nec non de Conversione Hominis, contra Sectarios hodierni tem-
poris? ut, ne Vestrà patientià abutar, paucissimas adducam. Ac-
cedit, quod multò diligentior fuerit in Lectionibus tam Publicis,
quàm Privatis.

Nondum obliti sumus, quòd *plerasq; Pauli Epistolas succinctâ*
Explicatione, quod Leviticum, Librum omnium Interpretum Con-
fessione difficillimum, nervoso Commentario integrum illustraverit.
Novimus, quòd summâ cum industria *Augustanam Confessionem*
& Formulam Concordiæ privatim docuerit, quodve magnò Stu-
diosorum Concurſu, Integrum SS. Theologiæ Systema, Thesin Or-
thodoxam, & simul Antithesin Papistarum Calvinistarumq; Hetero-
doxam complexum; nec non aliud Systema Theologicum, accuratiori
Methodo & Pædia, ordineq; Didascalico conficiendum, magna cum
laude & Nominis fama cum Studiosis communicaverit. Unde
factum est, ut Amplissima Summæ Eruditionis, Summorumq;
in

in Ecclesiam Dei sinceram meritorum Testimonia adeptus sit,
à Magnis Theologis, *beata memoria, Dominis Doctoribus Hoe, Dor-*
seho, Hulsemanno, & ut supra audivimus, ab Ipso quoque Proto-Syne-
drio Electorali.

Nihil dicam de *Concionibus*, quas nitidissime & artificiosissi-
mè elaboratas, summò cum Applausu, nec minùs tamen Audi-
torum ædificatione, & hic & Vratislaviæ pronuntiavit.

Nihil quoque dicendum mihi arbitror de *saluberrimis* illis
consiliis, quibus Reipublicæ Politicæ commoda piissimè venatus
est. Nihil de cæteris: Poterunt enim hæcenus enarrata satis ab-
undeque demonstrare, quantam *Veberus noster Polycarpus* omni-
bus Hierarchiæ partibus fructuum pepererit ubertatem.

Præprimis verò, cum & animi cogitata in usum publicum o-
mnia direxerit, eademque tanta oris sermonisque suavitate, di-
ctis & scriptis ediderit, ut & meritò nunc in Eòdem ostendere
Vobis *Chrysofomi Suvitatem* possimus.

Novistis enim, quantum ego hosce meos digitos novi, ob
singularem oris amœnitatem sermonisque suavitatem *Johanni*
Constantinopolitano Chrysofomi, hoc est *aurei oris nomen* fuisse im-
positum. Ea verò *suvitas* maximè conspicua erat in Oratio-
nibus sacris, quas magnam partem hodièque summâ cum dele-
ctatione legimus. Quod si idem quoque nomen *Beato Doctori*
Nostro attribueremus, conveniret sanè nomen illud rei suæ. Au-
divimus supra, Eum ob dulcedinem & suavitatem concionandi
acceptissimum fuisse *Serenissimi Electoris Proto-Synedrio*. Novi-
mus ob insignem oris linguæque amœnitatem charum fuisse
Mutschensibus, chariorem *Leisnicensibus*, charissimum sanè & *Lip-
sensibus & Vratislaviensibus*. Certissimi enim sumus & multis re-
rum argumentis persuasissimi, propter miram flexanimitatemque
eloquentiæ rationem in oculis & cordibus utrorum que fuisse.

Erit ergo *Chrysofomus* seu *Suvitatis Chrysofomi amulus* *Beatus*
Doctor noster. Neque verò dulcedo in *Suavi* duntaxat *Vocabu-*
lorum

IV. Chry-
sofomi
Suvitas

lorum mollissimorum vel conjunctione, vel blæsa illarum cantillatione consistebat; sed & prægnantissimarum & ponderosissimarum rationum dignitate, & selectissimarum rerum admirandâ ubertate abundabat. Pollebat in Eo *Verborum suavitas, rerum dignitas, argumentorum gravitas, copiose variationis facultas.* Divina Ejus mens curru eloqvii sui, non ruebat, sed fluebat, & mollis instar fluminis dulcissimè undabat. Cerebrum ejus fontem referebat, Os fluminis alveum, in quo dives aureæ eloquentiæ Pactolus suavissimè profluebat. Quod si sincera fidei veritas probanda erat, probabat eam non solum firmissimè, sed & clarissimè, quæ non minima Oratoris Virtus semper fuit habita. Quæso enim Te, quomodo intelligere poterit Auditor probationis pondera? quomodo persuaderi? si Tu plus, quàm Cimmeriis tenebris, eadem involvas. Phœbus esse debet probatio, non virtute duntaxat efficacissimus, sed & claritate genuinâ lucidissimus. Alterutrum si deest, probationis nomen jure meritoque perdit. Ita etiam, si refutandi erant Adversarii, si errores ipsis proprii demonstrandi, non confusa illud præstabat oratione, sed explicatissima improbatione, adeò quidem, ut Elenchum Ejus, Adversarii, Jesuitæ præprimis, perferre nunquam potuerint, ut Vespertiones scilicet lucentem solem, & cœcutientes clarum & sudum diem.

Quantis verò rationum momentis ad virtutes adhortari, quantis à vitiorum tam lue quàm lacunis dehortari Auditores consueverat? Movebantur enim animi Auditorum suavissima Ejus oratione, ut ab Eodem, ceu à Catenâ Herculis, aut, ceu generosi caballi habenis, ducerentur ad veram salutis viam. Nec dignis illud verbis unquam explicari poterit, quâ sermonis virtute, & rationum efficaciam, depressas afflictorum mentes excitaverit, & ad verum in fide gaudium mansuetissimas reduxerit. Adeò ab omni parte suavitatem fundebat, ut *Chrysoptomi Suavitatem meritò habuisse dicatur.*

Sed, proh dolor! *elinguata est illa Suavitas, eheu! exsiccata, Fertili-*

tilitas; depressa Gravitās, demersa Pietas, idque, quod maximè dolendum erat, eo tempore, quò maximè & necessaria & utilis erat Ecclesiæ.

Tu igitur, mea lingua, quæ ad nauseam usque hæctenus loquax fuisti, vel penitus obmutesce, vel in acerbissimas Telacrymas resolve! Mortuus est, qui Te ad *Pietatem* formavit, ad *Fertilitatem* incitavit, ad ingenerandam *Suavitatem* laboravit;

Mortuus est!

Alma Mater, *Suavissima Academia*, amisisti Factorem & Certissimum & Faventissimum, amisisti!

O dilectissima Salvatoris Sponsa, *orthodoxa Ecclesia*, orbata es Paranypho & Fidelissimò & Vigilatissimò, orbata es!

Illustris *Vratislavia*, privata es & Doctore, & Pastore, & Inspectore & Oratore devotissimò, pientissimò, privata es!

Vobis, o *Heredes Weberiani mastissimi*, ereptus est Maritus, Pater, Socer, Avus Indulgentissimus, blandissimus, ereptus est! Sed quid loquor? quorsum me abripi patior à luctu, quem Beatissimis Weberi manibus debeo?

Ereptus quidem Vobis est, sed ita, ut & Anima Ejus in Cælo vivat *piissima*, & cum Christo loquatur *gravissima*, & laudes edat *fertilissima*, & cum Angelis cantillet *suavissima*.

Nobis lugendum: Illi gaudendum. Nobis orandum: Illi triumphandum in perpetuis lætitiis & Victoriis.

O Anima Beatissima, o Anima Piissima fruire gaudiis in Cælo *suavissimis*: Tuque Sanctum Corpus, dulce olim Animæ nunc beatæ Hospitium, quiesce apud Matrem Tuam, Terram mollissimam, *suavissimè*, & in die olim extremò cum Electorum Corpusculis surge *latisimè*!

Vos verò bonarum literarum Studiosi in Exemplum hujus Viri intuemini, & Vestigia Ejus promptissimè seqvimini: Vos præcipuè, qui Deo & Ejus Verbo Vos totos & studia Vestra consecratis, seqvimini!

Deus

Zf 3690
DEUS Abrahami, DEUS Isaaci & DEUS Jacobi benedi-
cat studiis Vestris in Benedicto Semine, Salvatore Nostro! Qui &
Ipsa Ecclesiam suam, & in Ea Serenissimum Electorem, totamque
Illustrissimam Domum Saxoniam, nostram Academiam & Civitatem,
omnesque Docentes & Discipulos, Imperantes & Obedientes Cle-
mentissimè conservet, ut Religio crescat, Regio virescat, studia
floreant, Mercimonia vigescant, bellū obmutescat, pax contra
increbescat, per Sanctissimum Pacis Principem, Jesum Christum,
Salvatorem Nostrum, Benedictum in sempiterna Secula. 48

Redeo nunc ad Vos,

Magnifice Academiae Rector, Per-Illustris &
Generosissime Comes à Lynar, Consules & Proceres utri-
usque Reipublicae Faventissimi, Theologi, Juris-Consulti,
Medici, & Philosophi, ceterique Auditores omnium Or-
dinum Honoratissimi,

Redeo ad Vos, & Gratias Vobis ago, quas animò concipere
possum maximas, quòd & plurimis & gravissimis Vestris nego-
tiis tantisper Vos volueritis subtrahere, & benevolam mihi auri-
um usuram commodare.

Agnosco ex hac Benevolentia Vestrum in me Favorem, & in
Beatissimi WEBERII Manes affectum promptissimum, quem gra-
tissima mente meritò exosculor & veneror, omnem moturus la-
pidem, ut & precibus meis devotis, & officiis paratissimis Eum
retaliare queam in posterum. Faxit Deus ter Opt, ter

Max. ut Vos omnes vivatis feliciter, peren-
netis faustiter! DIXI.

Q. 278.

O R A

in o

V

Plurimum Reverendi, An

Do

ANANIAE

S. S. Theologiae I

tissimi, Professoris quondam
leberrimi, & postea ad D. E

Pastoris Vigilantissimi, cæ

Scholarum invariatae A.

ris Gravis

In Academ

D. XXVI. Jan

publicè in Major

SAMUELE LAN

Ejusdemque Prof. Publ. ad

tendente, Consistorii Sac

fessore, & Fac. T

L I P

Typis & Impensis

BIBLI
PONICK



90

